



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1861

LXXI. Heinrich, Bischof von Lebus, bestätigt den Kaland in Fürstenwalde, am 23. April 1365.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55508](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55508)

quos in Rosintal colit — — Item super predictis mansis tenebit quinque tantummodo ortulanos. Item tenebit gregem ovium liberum — — Actum et datum in domo nostra in Zelow, in die Beate Katharine, M^o. CCC^o. LVIII^o. presentibus Nyccolao de Bork, canonico nostro lubucensi, et Magistro Apetzcone, rectore ecclesie in DoByr, ac religiosi viri dominis Johanne de Hoyn, Commendatore, et Conrado tabelyn, priore in leysna, domino Hermanno de Wulkow, militibus, Dypprand et Johanne de Schaplow, betkino berenuelde, frederico Mildenhofst.

Wohlbrück I, 226.

LXXI. Heinrich, Bischof von Lebus, bestätigt den Kaland in Fürstenwalde,
am 23. April 1365.

Henricus, Dei et Apostolice sedis providencia Episcopus Lubucensis, Vniversis Sancte Matris Ecclesie filiis, ad quos presentes pervenerint, salutem in Domino sempiternam. Quoniam, ut ait Apostolus, omnes stabimus ante tribunal Christi accepturi, prout in corpore gessimus, sive bonum fuerit sive malum, oportet enim nos diem messonis extreme operibus misericordie prevenire ac hic in terris seminare, quod reddente Domino cum fructu multiplicato in celis recolligere valeamus, firmam spem fiduciamque tenentes, quod qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus, in benedictionibus et metet vitam eternam. Cupientes igitur, ut Fraternitas Fratrum Kalendarum, que quondam fuit in Fürstenwalde et nunc aliquando solet esse in Monkeberg et aliquando in Villis circumjacentibus nostre Lubucensis Diocesis, que ab antiquo ordinata est in honore omnipotentis Dei et beate Marie Virginis ejusdem genitricis et omnium Sanctorum, variis honoribus frequentetur et a Christi fidelibus jugiter veneretur, quam etiam tenore presentium in nomine Domini confirmamus, omnibus vere penitentibus, contritis et confessis, qui eandem Fraternitatem in quatuor festivitibus infra scriptis, videlicet nativitate Christi, Pasche, Sancti Johannis Baptiste et in Festo Sancti Michaelis Archangeli, quocumque et quandocumque celebrabitur causa devocionis, dictam Fraternitatem accesserint, matutinis missis, Vesperis seu aliis divinis horis dicte Fraternitati interfuerint, seu qui Fraternitati predictae ad Luminaria, Ornamenta comparanda seu emenda de bonis sibi a Deo collatis, manus eidem porrexerunt adjunctrices, ac etiam qui qualiacumque Karitative servitia predictae Fraternitati impenderint, vel quidquam pii operis vel actus prenarate Fraternitati fecerint, quandocumque et quotiescunque premissa, vel aliquid premissorum devote fecerint, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus autoritate confisi quadraginta dies indulgentiarum de injuncta iis penitentia misericorditer in Domino relaxamus. In quorum omnium testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum. Datum Lubus, Anno Domini Millesimo trecentesimo sexagesimo quinto, in die Sancti Adalberti Martyris.

Kehrberg's Gesch. von Königsberg I, 256.